

[*Textus evangeli* (Luc. 21:25–33): [25] Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium p<sup>re</sup> confusione sonitus maris, et fluctuum: [26] arescentibus hominibus p<sup>re</sup> timore, et exspectatione, quae supervenient universo orbi: nam virtutes caelorum movebuntur: [27] et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate. [28] His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. [29] Et dixit illis similitudinem: Videte ficalneam, et omnes arbores: [30] cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas. [31] Ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. [32] Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. [33] Caelum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt.]

### [57r] Dominica secunda in aduentu domini.<sup>1</sup>

#p 1# In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis: *Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terra pressura gentium pre confusione sonitus maris et fluctuum* (Luc. 21:25). #p 2# Ewangelium quod precedenti dominica lectum est, de primo aduentu suo, quo misericorditer uenit et humilis apparere uoluit et fuit. #p 3# Sed hodiernum ewangelium tractat de secundo aduentu, quando terribilis uenturus est ad iudicium, quando *apparebit in nubibus cum potestate<sup>2</sup> magna et maiestate* (cf. Matt. 24:30)<sup>3</sup>, quando *uidebit omnis oculus eum, et qui eum pupugerunt* (Rev. 1:7) et transfixerunt, quando loquetur: *Heu, consolabor super hostibus meis* (Is. 1:24), quando auditus erit malus, quo nullus fit maior:<sup>4</sup> *Ite, maledicti, in ignem eternum* (Matt. 25:41), cum *iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum*<sup>5</sup> (Matt. 13:43). #p 4# *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus iniustos, qui eos afflixerunt, et qui abstulerunt labores eorum* (Sap. 5:1). Sed cum uiderint eos in tanta gloria, *turbabuntur timore horribili et mirabuntur de subitacione insperate salutis<sup>6</sup>* iustorum, *dicentes intra se, penitentiam agentes, et pre angustia spiritus gementes:* #p 5# *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisu et*

---

<sup>1</sup> *Rubrica in marg.*

<sup>2</sup> *potestate*] *potestestate cod.*

<sup>3</sup> *Matt. 24:30:* in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate.

<sup>4</sup> *malus, quo nullus fit maior*] *del. et in marg. add.* sermo amarus quo nullus erit amarior. Cf. "Sermo sancti Augustini episcopi in vigiliis mortuorum" (qui in breviariis invenitur): *Erit enim auditus, quo nullus fit maior.*

<sup>5</sup> *sol in regno patris eorum*] s. i. r. p. e. *cod.*

<sup>6</sup> *de subitacione insperate salutis*] *p.c., de insperati salute a.c. ut uid.*

*improperio. Nos insensati, uitam illorum estimabamus insaniam, et finem eorum sine honore. Ecce, quomodo computati sunt inter filios dei, et inter sanctos sors illorum est.* (Sap. 5:2–5).

#p 6# Sed quia ista pauca diximus de secundo aduentu, libet parumper superiora attendere. Dominus interrogatus ab apostolis de secundo aduentu suo respondit: *Cum audieritis prelia et sediciones, nolite terreri. Oportet hec fieri, sed non statim finis. Surget contra gentem gens,<sup>7</sup> et regnum aduersus regnum. Erit fames, erunt pestilentie, erunt terremotus.* #p 7# *Ante hec omnia inicient<sup>8</sup> manus suas in uos, et persequentur trahentes ante reges et presides, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et morte afficiant ex uobis (cf. Luc. 21:9–16), et multa que predixit uobis dominus<sup>9</sup>. #p 8# Et addidit hoc quod hodie audiuius: *Et erunt signa in sole et luna et stellis, et terris pressura gentium pre confusione sonitus maris et fluctuum* (Luc. 21:25).<sup>10</sup>

#p 9# Quamuis sciamus ista omnia transacta fuisse secundum rei ueritatem, libet ut aliud intelligamus. Per solem debemus intelligere Christum, qui loquitur per prophetam: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iusticie* (Mal. 4:2). Sicut mundus iste illuminatur a sole, sic illuminantur omnes fideles a Christo. #p 10# In sole isto, id est in Christo, facta sunt signa: quod uirgo concepit, et peperit uirgo, et uirgo permansit post partum; quod miracula fecit, scilicet mortuos resuscitauit, demones eiecit<sup>11</sup> ex obsessis corporibus, leprosos mundauit, paraliticos curauit, aquam [57v] in uinum conuertit, #p 11# quadraginta dies ieunauit, stagnum peragravit ceu siccum litus,<sup>12</sup> a diabolo uoluit temptari, ad ultimum crucifigi, mori, tercia die resurgere a mortuis; quod saxa et parietes sciderunt se, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt; et multa alia signa, que narrare non possumus, facta sunt in sole, idest in Christo, a quo illuminati sumus.

#p 12# Facta etiam signa sunt<sup>13</sup> in luna. Luna significat ecclesiam. Luna suscipit lumen suum a sole, idest ecclesia<sup>14</sup> cognitionem fidei a Christo. Signa in luna sunt sacramenta dominice resurrectionis, scilicet corporis et sanguinis Christi, purgationem peccatorum, et

---

<sup>7</sup> *Surget contra gentem gens]* Surget gens contra gentem *p.c.*

<sup>8</sup> *inicient]* incient *cod.*

<sup>9</sup> *predixit uobis Dominus]* predixi uobis *p.c.*

<sup>10</sup> *sole et luna et stellis et terris pressura gentium pre confusione sonitus maris et fluctuum]* sole & l. & s. & terris pressura g. p. c. s. m. & fluctuum *cod.*

<sup>11</sup> *ieiicit]* eiicit *a.c.*

<sup>12</sup> Cf. <http://cantusindex.org/id/g02530>: Stagnum peragratis fluctuans ceu siccum litus.

<sup>13</sup> *Facta etiam signa sunt]* Facta sunt etiam signa *p.c.*

<sup>14</sup> *ecclesia sup. lin.*

remissionem in baptismo; quod colla regum et paganorum principum subiugata sunt iugo fidei, et desierunt esse persecutores Christianorum, #p 13# et<sup>15</sup> dilatatam esse ecclesiam usque ubi prius erat ritus gentilium; quod ibi modo monasteria et ecclesie edificantur, episcopi consecrantur, sacerdotes et ministri ordinantur, sinodalia iura seruantur, et, ut legitur de Iudith uidua, que habitauit in<sup>16</sup> Bethulia ciuitate sua, post occisionem Holofernis, ducis regis Syrie, idest postquam ecclesia<sup>17</sup> uicit omnes hereticos et paganos principes, modo procedit in diebus festis (cf. Iudith 16:25–27), idest letatur in nativitate Christi, in pascha, in pentecosten et aliis festis diebus sanctorum, in quibus procedit ecclesia et iocundatur. Hec signa erunt<sup>18</sup> in luna, idest in ecclesia.

#p 14# Signa in stellis sunt miracula, sicut de apostolis legitur: *Per manus apostolorum fiebant signa* (Act. 5:12), et per manus<sup>19</sup> et aliorum sanctorum multorum, qui fulserunt in hoc mundo sicut stelle in firmamento celi (cf. Deut. 1:10). De his stellis Daniel dicit: *Qui erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas eternitates lucent*<sup>20</sup> (Dan. 12:3).

#p 15# *Et in terris pressura gentium* (Luc. 21:25), a malis rectoribus et falsis doctoribus, qui fidem ecclesie impugnant. Quia ante aduentum illius hominis dampnati qui est Antichristus, idest contrarius Christo, tales erunt prenunciis sui, ut, ubicumque inuenient aliquem fidelem inuocantem nomen Domini, persecuntur eum, et dicunt non debere aliquem inuocare nisi dominum suum, cuius precursores sunt. #p 16# Sicut Christus habuit precursores suos, sic Antichristus mittit prenuntios suos, et <dicunt> omnia que predicta et completa sunt in Christo falsa esse, et dicunt suam doctrinam ueram esse, et sic destruunt fidem ecclesie, in tantum quod nullus audeat se Christianum profiteri.

#p 17# Erit et *tempus quale non fuit, ex eo ex quo gentes esse ceperunt* (Dan. 12:1). Erit enim *pressura magna gentium* (Luc. 21:25). Tunc arescant homines pre timore (cf. Luc. 21:26) nunciorum Antichristi, in tantum quod nullus audeat Christianum se<sup>21</sup> confiteri. Et nullam habeant caritatem adiuicem, ita ut Dominus dicit: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (Matth. 24:12). #p 18# Arescit homo, quando frigescit a natura

---

<sup>15</sup> et] *lectio incerta*.

<sup>16</sup> in] *in domo a.c.*

<sup>17</sup> ecclesia *in marg.*, *manu prima ut uid.* (postquam … paganos *sup. ras. ut uid.*)

<sup>18</sup> erunt *sup. lin.*

<sup>19</sup> per manus] *p. m. cod.*

<sup>20</sup> quasi stelle in perpetuas eternitates lucent] erunt quasi stelle in perpetuas eternitates *p.c.*

<sup>21</sup> se *sup. lin.*

humana. Sic frigescunt homines a caritate, quando nec<sup>22</sup> ad Deum, nec ad proximum audent habere caritatem. Viresent [58r] et frondescit, quando humore et suco caritatis repletus, quicquid boni potest impendere alteri, proximo suo facit. Et non solum amicis, sed etiam inimicis caritas ostendenda est. #p 19# Hinc dicit Dominus in passione sua: *Si in uiridi ligno hec faciunt, in arido quid fiet?* (Luc. 23:31) Hoc est: Si in me, qui lignum uiride sum et repletus suco caritatis, ista faciunt, et ista patior, in arido quid fiet? Quando ille peruersus homo apparebit, *extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur* (2 Thess. 2:4), et ipse aridus omnes arescere facit, idest frigescere facit a caritate.

#p 20# Erit etiam *sonitus maris et fluctuum* (Luc. 21:25). Sonitus maris est ille peruersus homo qui appellatur Antichristus, idest contrarius Christo, qui terribilem sonum emittit, quando regnabit per totum mundum. Qui se deum nominat, ut<sup>23</sup> nullus adoretur nisi ipse. Qui amaricantes facit homines, idest inuidos inter se et discordes. Qui precipit, ut omnes homines habeant caracteres suos (cf. Rev. 13:16), idest signa sua. #p 21# Qui appellatur bestia in libro Danielis (cf. Dan. 7), que ascendet de mari, in cuius capite decem cornua sunt (cf. Rev. 13:1), quia in potestate sua decem regna, que per cornua designantur, habebit (cf. Rev. 17:12). #p 22# Que ascendit de mari, idest de iniquis et malis hominibus, a quibus generatus subleuant eum in regnum. Quem introibit Sathanas confortans eum. Et est *filius perditionis, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo sedeat, ostendens se tamquam sit Deus* (2 Thess. 2:3–4). Qui falsis miraculis coruscat, et seducit multos (cf. Rev. 13:13–14). #p 23# Quos non potest seducere miraculis, dat premia et munera, ut eos quos attrahat sibi credant<sup>24</sup> in eum. Quos non potest miraculis uel muneribus decipere, illos mirabiliter cruciat tormentis, et diuersis penis interficit (cf. Rev. 13:15).

#p 24# Tunc autem, cum *plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit* (Rom. 11:25–26), idest <cum> omnes populi qui sunt saluandi uenerint ad fidem, et nullus de gentibus deinceps saluatur, tunc Iudei conuertentur ad Deum per predicationem Enoch et Helye, cum uiderint ista omnia completa de Antichristo que diximus (cf. Rev. 11:1–13). #p 25# Nam sicut Dominus dicit Iudeis: *Ego ueni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Alius ueniet in nomine suo, illum suscipietis* (Ioh. 5:43). Et complebitur in eis, quia eum suscepturi sunt qui ueniet in nomine suo, et credunt ei per paruum tempus. #p 26# Sed postquam ablatum fuerit uelamen a cordibus eorum (cf. 2 Cor. 3:15–16), et cognouerint

---

<sup>22</sup> nec *sub lin.*

<sup>23</sup> ut] et *a.c.*

<sup>24</sup> credant] et credant *a.c.*

ueritatem, et se deceptos esse ab eo quem modo expectant, tunc conuertentur, et abrenunciabunt Antichristo. Tunc *bene pacientes erunt* (Ps. 91[92]:15), idest martyres erunt.

#p 27# *Sonitus maris et fluctuum* (Luc. 21:25) erit per terribilem uocem eius, qui amarus omnibus erit, uel ascendet de amaris, et inquis hominibus nascetur. *Et fluctuum*, idest omnium [58v] sequacium suorum et peruersorum hominum.

#p 28# *Aresentibus hominibus pre timore* (Luc. 21:26), hoc est pre timore Antichristi et sequacium suorum. Aresent homines et frigidi a caritate<sup>25</sup> erunt. *Et expectatione, que superueniet uniuerso orbi, nam uirtutes celorum mouebuntur* (Luc. 21:26). #p 29# Ista omnia, que diximus de Antichristo et sequacium suorum, uenient uniuerso orbi, idest toto mundo, et expectant cum eo homines iam aduentum Christi et finem mundi. #p 30# Tunc mouebuntur uirtutes celorum, idest non solum angeli, qui sunt in eterna pace, mouentur, sed etiam perfecti et sancti uiri, qui sunt in ecclesia, mouebuntur a malis hominibus, qui<sup>26</sup> imminent<sup>27</sup> mundo illis diebus. Et sicut Dominus dicit: *Nisi breuiati fuerunt dies illi, non fuisse salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur* (Matth. 24:22). #p 31# Tantum duos annos et dimidium stabit tempus illud, et ideo breuiauit Dominus tempus illud propter electos, ne deficiant in<sup>28</sup> fide.

#p 32# *Tunc uidebunt filium hominis*, idest filium beate Marie, qui hic humilis apparuit in terra, *uenientem in nube cum potestate magna<sup>29</sup> et maiestate* (Luc. 21:27). Videbunt eum omnes homines cum potestate magna et maiestate, hoc est, quem hic nolebant humilem et misericordem suspicere, uidebunt eum terribilem et iratum.

#p 33# Sed consolationem infert omnibus electis suis dicens: *His ita fieri incipientibus*, idest cum ista omnia incipiunt fieri, *respicite, et leuate capita uestra*, hoc est exhilarate corda uestra, *quia appropinquat redemptio uestra* (Luc. 21:28). Quasi dicat: Mundus iste, in quo habetis tribulationes et pressuras, transbit, cuius amici non<sup>30</sup> estis (cf. Iac. 4:4), et redemptio uestra appropinquat, hoc est regnum Dei, quod amastis.

#p 34# *Et dixit illis similitudinem: Videte fulneam et omnes arbores. Cum producunt<sup>31</sup> iam ex se fructum, scitis quia prope est estas* (Luc. 21:29–30). Per similitudinem dixit de

<sup>25</sup> et frigidi a caritate] et a caritate frigidi p.c.

<sup>26</sup> qui scripsi, que cod.

<sup>27</sup> imminent] imminent cod.

<sup>28</sup> in sup. lin.

<sup>29</sup> magna sup. lin.

<sup>30</sup> non sup. lin.

<sup>31</sup> producunt] producunt cod.

fructu ficulnee et omnium arborum, cum fructus appareret ex eis, prope esse estatem. #p 35# Sic et sinagoga, que per ficulneam figuratur, que modo sine fructu est, et sine fide ac bonis operibus, cum uideritis eam conuerti, ac desiderare baptizari, et credere in Deum, tunc appropinquat estas, idest regnum Dei. Quod estati comparatur, quia sicut mundus in estate decoratur diuersis floribus, sic regnum Dei diuersa multitudine populorum colligitur et decoratur. #p 36# Ficulnea designatur synagoga, sicut Dominus dicit ad Nathanael: *Cum essem sub ficu, uidi te* (Ioh. 1:50), idest cum esses sub umbra Mosayce legis, elegi te. Iterum alio loco, cum Dominus ante passionem suam exiret Ierosolimam, et uenisset ad ficum querens fructum in ea propter famem, et non inuenisset in ea, maledicens eam ait: Nullus fructus requiratur a te (cf. Matth. 21:19). #p 37# Quia cum Dominus uenisset ad Iudeam, idest ad synagogam, et fructum requisisset in ea, nichil inuenit in ea nisi folium, idest pulcra [59r] uerba; fructum, idest bonum opus, non inuenit. Quam ob causam maledicens eam synagoga aruit, idest incredula manet, et nullum sucum caritatis tam ad Deum quam ad cognitionem fidei habet, usque dum incipit credere et fructum proferre.

#p 38# *Scimus*<sup>32</sup> *quia prope est estas*, idest regnum dei. *Omnes arbores*, idest omnes homines dicit. *Fructus eorum*, opera eorum siue bona, siue mala, siue dulcia, siue acida fuerint, estas declarabit, quia iudicium Dei, idest discretio Dei, manifestabit.

#p 39# *Amen dico uobis, non preteribit generatio hec, donec omnia fiant* (Luc. 21:32). Duas generationes esse scimus, bonam et malam. De bona dicitur: *Generatio rectorum benedicetur* (Ps. 111[112]:2), et *hec generatio querentium Dominum, querentium faciem Dei Iacob* (Ps. 23[24]:6). #p 40# Et in alio loco: *Scribantur hec in generatione altera* (Ps. 101[102]:19), idest natuitas mea, passio, resurrectio, et omnia sacramenta dominica. Sacraenta scribantur, idest notificantur, in generatione altera, idest sequacibus. #p 41# De mala generatione dicitur: *Generatio mala et adultera signum querit* (Matth. 12:39), et alio loco: *Venient hec omnia super generationem istam* (Matth. 23:36), idest omnia que egi in populo, et nolunt mihi credere, uenient eis ad damnationem magis quam ad salvationem. #p 42# Quasi dicat: *Non preteribit generatio hec*, non transbit, neque delebitur sic omnino a terra, neque in bonis, neque in malis, donec completa omnia fiant que predixi, tam de Antichristo quam de consolatione iustorum et de conuersione Iudeorum.

#p 43# *Amen dico uobis, celum et terra transibunt, uerba autem mea non transibunt* (Luc. 21:33). Non ita transeunt, quod omnino non sint, sed mutantur et purgantur, ut clariora fiant. Per *celum* sanctos intelligimus, per *terrā* peccatores. Sancti etenim et peccatores transeunt,

---

<sup>32</sup> scimus] vere (?) dicitur scimus p.c. (v dr in marg.)

idest moriuntur, quia nullus ita sanctus et peccator, quin oporteat mori sicut scriptum est: #p 43# *Quis est homo qui uiuet, et non uidebit mortem?* (Ps. 88[89]:49) *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et per uerbum Christi, quod eternum est, nec umquam incipit nec desinit, omnes homines uiuificabuntur* (1 Cor. 15:22). AMEN.